Diole el M. Bro Scribano ora yeo.

SVMMA CONCILIORVM ET PONTIFICVM

A PETRO vſq; ad Paulũ tertium ſuccinctè complectens omnia, quæ alibi ſparſim tradita ſunt,

Num. 92. caj. 4 - num. 10.

Per. F. Bartholomæum Carranzam Mirandeñ. inſtituti ſancti Dominici Theologiæ profeſſorem, & regentem in collegio ſancti Grego. in Valle Oletana, nunc denuo per ipſummet recognita, & aucta.

Quæ omnia verſa pagella indicabit.

19631

15 49

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

SALMANTICÆ

Apud Andream de Portonariis.

Es dela Compa de JHS de Sala y dela Libreria.

GREGORIVS GALLVS
Doctor Theologus Lectori Salutem.

PERLEGI, vt potui accuratiſsimè, Summam hanc Conciliorum: quam meæ trutinæ probandam, atq; expendendam cõmiſit admodũ reuerendus Salmanticenſis diœceſis Vicarius: prius quidem excuſſam Venetiis, & Lydio, vt fertur, lapide probatam: nunc verò ſecunda cura cognitam, & multis haud contẽnẽdis auctam. In qua tam piè, & aptè, vt mea fert opinio, traduntur omnia, vt prorſus nihil addi, aut demi citra flagitium queat: ea eſt ſanctimonia, eruditio, ac fœcũda breuitas Authoris. Quare non eſt profectò cur non precemur benè Bartholomæo Mirandæ viro inter Dominicanos & religioſiſsimo, & doctiſsimo: cuius ſtudiũ ad hunc modum ſemper fuit, de republica Chriſtiana quãoptimè mereri. Vale. Salmanticæ die. 20. Iulii. Anni. 1549.

De canonibus Apoſtolorum variè tradiderunt ſcriptores eccleſiaſtici, vt diligenter annotauit Gratianus in ſuo volumine decretorũ d.16. Quidam in totum reiecerunt tanquã apocryphos. Alii admiſerunt ſexaginta, vt Zepherinus Papa ſcribens Epiſcopis per Siciliam conſtitutis. Alii vero quinquaginta recipiunt, vt Leo nonus Papa contra epiſtolam Niceti abbatis. Sexta autem ſynodus recepit, & probauit.85. in can.2. prout in Græcis, & Latinis exemplaribus feruntur. Quam ſynodum ſecutus integros.85. canones ex Græcis, & Latinis codicibus tranſcripſi. Aut or.

Can.1.

EPiſcopus à duobus, aut tribus epiſcopis ordinetur. *Ca. Si archiepi. 27. c. Nec epi. De tẽpo. ordina.*

Can.2.

PResbyter ab vno epiſcopo ordinetur, & diaconus, & reliqui clerici.

Can.3. Quid offerendum ſit in ſacrificio altaris.

SI quis epiſcopus, aut presbyter pręter ordinationem domini alia q̃dam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, & cõfecta quędam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina contra conſuetudinem dñi faciẽs, congruo tempore deponatur. *Sacrificium miſſæ a dño ordinatum.*

Can.4. Quæ liceat ad altare offerri.

OFferri non liceat aliquid ad altare præter nouas ſpicas, & vuas & oleũ ad luminaria, & thymiama, id eſt, incenſum tempore quo ſancta celebratur oblatio.

Can.5. Inter quos primitiæ diuidendæ.

OMnium aliorum primitiæ epiſcopo, & presbyteris domum mittuntur, non ſuper altare. Manifeſtum eſt autẽ, ꝙ epiſcop⁹, & presbyteri inter diaconos, & reliquos clericos eas diuidunt.

Can.6.

EPiſcopus, aut presbyter vxorẽ propriam nequaq̃ ſub obtentu religionis abijciat. Si verò reiecerit, excõmunicetur: ſed ſi perſeuerauerit deijciatur. *Can. iſte ſextus per duodecimũ canonẽ. 6. ſynodi ſtatuitur.*

Can.7.

EPiſcopus, aut presbyter, aut diaconus nequaq̃ ſeculares curas adſumant: ſin autem eijciantur.

Can.8.

SI quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus ſanctũ paſchæ diem ante vernale æquinoctium cum Iudæis celebrauerit, abijciatur.

Can.9. Vt omnes ex ſacerdotali catalogo facta oblatione communicent.

SI quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex ſacerdotali catalogo facta oblatione nõ cõmunicauerit: aut cauſam dicat, vt ſi rationabilis fuerit, veniã con- *Miſſa, & ſacrificium & oblatio eſt.*